

Appendix. — Europa Nro. 34.

Regnum Mortuorum.

Concio.

Pro hebdomada Sancta.

In Elysiis 12. Aprilis 1808.

Textus.

Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, aut an ego a me ipso loquar. Joan. Cap. 7. V. 16. 17.

Ab annis circiter 1775 dies hebdomadae sanctae sunt recordatio passionis Nostri Salvatoris Jesu Christi: Pii Christiani devovent hos dies contemplationi passionum hujus Divini Magistri; elevant oculos ad crucem; audent Levitas et Sacerdotes lamentationes canere; parietes templorum nigro panno obducuntur; campanae obmutescunt; sanctum quoddam silentium videtur quemquam ad solitudinem retrudere, auditurque vox ab altari; *Eccce, quomodo moritur justus*. Christiani moritur justus, qui nobis trans tumultum vitam praeparavit. Existencia nostra non restringitur ad incertam, fragilem, duram, et acerbam vitam in hoc mundo, quae est duntaxat momentum aeternitatis. Desiderium futurae vitae est in omnium cordibus. Anne homo aliam destinationem non habeat, quam ut aliquot dies in terra inter calamitates exigat; qui super omnia, quae eum circumdant, eminet. Qui uno momento praeterita, praesentia, et futura perspicit? Qui ultra vacuum, et aetates semet elevat; et spe alitur, in misteria aeternitatis penetrandi? Non, haec spes non nascitur in anima ejus absque scopo; desiderium, quod in hac vita nihil adimplere potest; quod continuo renascitur; cujus felicitas in dies magis hominem allicit, quam in hac vita frustra quaerit. In tumultu gaudiorum, magnitudinae dignitatum, et in cumulo divitiarum adhuc patitur; nova continuo in ipso nascitur necessitas; quae eum movet; omnia haec non constituere veram felicitatem. Si nihil melius expectandum haberet, cur invincibile hoc desiderium Creator eidem indidisset? Ad quid haec ardens melioris, et durabilioris existentiæ anhelatio;

an ut insatiabile hocce desiderium eum infeliciorem reddat? — Quanta contradictiones Omnipotenti Creatoris sapientiae, quae hominem velut eum perfectissimum in mundo hoc collocavit, adscribi deberent? Mundus hic est duntaxat statio, et transitus in vitam meliorem.

Unde est in quovis homine veneratio virtutis, etiamsi eam ipse non exerceat? Unde contemptus vitiorum, etiamsi quis eis deditus sit? Unde stimulus conscientiae, qui omne vitium abominatur? Absit, Christiani! manus Omnipotentis, qui hominem ex nihilo formavit, indidit animae ejus hos indelebiles affectus; Ille constituit conscientiam tamquam Vigilem, cui rationem facti reddere debet. Ad quid haec conscientia, si nihil sperandum foret, aut si cum morte cuncta evanescerent? Quanta inconsequantia Creatori adscribenda, si quid plantasset, quod fructus non ferret? Quae contradictio principiorum, quanta confusio? Bonum et malum, utile et damnosum, virtus et vitium in eadem linea, aut rectius vitium triumphans, et virtus oppressa. Animalia rationabilia, velut casu ad terram projecta, et dispersa; Boni crudelitati malorum expositi; Debiliores contra potentiores sine auxilio; Infelicitas absque solatio; Magnanimitas sine gratitudine; Beneficentia sine imitatione; Quivis per odiosum suum *Ego* subjugatus; Exulans amor proximi, et vita socialis; Mundus moralis absque nexu, et harmonia; Providentia Divina sine misericordia pro afflictis; sine praemio pro credentibus in illam; Leges ad exteriores formalitates restrictae, sine metu pro occulta transgressione; Nullum onus responsionis pro occulto delicto; et dignitas hominis depressa, unice Potentibus propria. Bone Deus! ad quem finem creasses hominem!

Saeculum 18! Tu ambitiosa periodus lucis, et illuminationis, quod titulo *Philosophici saeculi* superbis, te ex baratro aeternitatis provoco; prodi hodie ad conspectum crucis nostri Salvatoris, qui sapientes tuae aetatis redemptionis participes esse voluit, quam tamen illi repudiarunt; Veni in conventum Christianorum, et ostende nobis historiam sapientum tuorum, qui spiritum, et mores populorum reformarunt. Qui jactabant, se superstitionem eradicare velle, et everterunt doctrinam nostrae Religionis; fucatum heroismum delarvare, et verum honorem ludibrio exposuerunt, praesudicia eliminare, et confoderunt sanctissima principia; detrudere larvam fucatae pietati, et prostituerunt virtutem. Protervi! Cernite destructionem, quam sistema vestrum in cordibus hominum excitavit. Videte, et expavescite ad conspectum effectus! Pupilli! Hic non procul a cruce quiescunt Parentes, et Majores vestri; Erant illi Christiani, ergo pro vobis non perierunt; expectant vos

in sancta Patria. Audite vocem eorum; estote boni Christiani; mementote eorum, quae pii Antenati narrarunt; Ah! novus genius invasit saeculum! Sancta Ecclesia! Deus Majorum nostrorum, miserere nostri, et salva generationem nostram!

Sanctitas hodiernae diei loquitur ad cor nostrum. Videte libros Philosophorum cum omni sua pompa, et comparete illos cum Evangelio Salvatoris. Quantae tenebrae comparete ad tantam lucem! An adeo simplex, et sublimis liber opus humanum est? An author homo fuit? An invenimus in eo ambitiosum tonum unius Philosophi? Quae Mausveludo? Quae patientia? Quae puritas morum? Quae simplicitas eruditionis? Quae Majestas in scriptis? Quae alta sapientia in sermonibus? Quae animi praesentia? Quae sinceritas? Quae doctrina in ejus responsis? et quanta passionum refraenatio! Ubi aliquis hominum, ubi Philosophorum unus, qui adeo absque ullo gloriae, et commodi studio egisset, passusque, et mortuus esset? Justus ille, quem imaginatio Platonis finxit, omnium criminum reus innocens accusatus, et tamen omni gloria virtutum dignus, quid est? Merito credas, quod Plato Christum describere voluerit. Haec paritas adeo in oculos impingit, ut SS. Patres eam observaverint, Absque calumnia, et doloribus morieas lussit personam suam usque ad finem, quam facilem mortem si non sustinisset, ad summum Philosophus mansisset; sed erat moralista. Alii ante ipsum exercuerunt jam moralitatem, et ille nos docuit, quod ante illum alii fecerunt. Aristides erat justus, antequam Socrates justitiam explanasset. Leonidas obiit pro patria ante Socratem, et Sparta vivebatur temperata, antequam Socrates temperantiam ut virtutem depraedicasset. Graecia longe jam antea habuit Cives, virtutibus ornatos.

Verum ubi Christus illam sublimem, et puram moralitatem, quam ipse docuit, et exemplo suo tradidit, apud suos discere potuit? Mors Socratis, qui cum amicis suis philosophatur, erat svavis; Christi vero inter cruciatus et dolores, inter ludibria, et blasphemias integri populi, uno verbo atrocissima in cruce. Socrates accepit venenum, egit gratias, et bibit; Christus inter acutissimos dolores orat pro carnificibus suis. Si vita et mors Socrati nomen Sapientis dedit, vita et mors Christi debet esse aliquid Divini; Quid nobis reliquit Socrates de vita futura? Opiniones obscuras; sed Christus removit velum, aperuit coelum, et nos videmus futuram nostram existentiam. Mors non est amplius mors, sed nova vita.

Doctrina Christi est ad captum omnium, pro omnibus aetatibus, et situationibus; semperque ducens ad felicitatem humanae Societatis; Christus non eguit argutiis, aut

vi, ut doctrinam suam in corda hominum cogat. Si doctrinam Christi, quae depravatis haud quaquam placet; si propagationem ejus primis temporibus, imo sub atrocissimis persecutionibus, consideremus, merito concludere debemus, Christianismum habere virtutem Divinam. Annon Christus diversa vationia edixit, quae tunc nullus mortalium praevidere potuit, et quidem cum specialibus circumstantiis, quae omnia impleta sunt? Prophetia passionis, mortis, et resurrectionis, prout factorum Discipulorum ejus. Loquor ego hic ad Christianos; nam alii dicunt, prophetas has primum post mortem ejus, adeoque post factum scriptas fuisse;

Doctrina Christi est pro omnibus statibus, temporibus, et situationibus hominum applicabilis, semperque pro bono et felicitate humanae societatis, Christus non eget argutiis subtilitatibusque deceptorum, aut potentia pro inserenda cordibus hominum Doctrina sua. Si Doctrina Christi, quae depravatis mentibus haud grata est, si propogatio ejus primis temporibus et in medio crudelissimarum persecutionum spectetur, merito concludi potest, eam virtute sua divina operari. An Christus multa praedixit, quae tunc adhuc praevideri non poterant, et quidem cum specialibus adjunctis, quae omnia impleta sunt; ita praedixit suam passionem, mortem, et resurrectionem suam, fata item Discipulorum. — Haec ad Christianos dicta sunt, nam alii volunt, prophetas has primo post ejus mortem, adeoque post factum scriptas fuisse. Ast prophetia de eversione Hierosolimae, cujus nulla tunc adhuc erant indicia, fato um item populi judaici, quae adhuc hodie ipsi oculis cernimus, anne haec per tres Evangelistas scripta sunt, dum adhuc Hierosolima steterat et ubi eversio ejus, et quae sequebantur, fata nec supponi poterant?

Consulamus, Christiani hodie! hic ad crucem propriam nostram experientiam, et propria nostra conscientia nobis testis esse debet. Anne effectus Religionis Christianae in nobis ipsis semper vidimus, quoties illa rite usi sumus? Annon experti sumus, assecurationes; quas haec sancta doctrina continet, non tantum veras, verum etiam divinae originis esse? Annon mutationem in ideis, passionibus, et actionibus; abominationem mali, et desiderium boni, et plenam conscientiae quietem in maximis adversitatibus in nobis produxit? An hic tantae consolationis effectus, haec emendatio, et nostri exaltatio divina non est? Haec Tibi, Magister Divine! in acceptis referimus. Ita est, Divina est haec Doctrina, prout ipse dixisti: — *Mea Doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoscat de Doctrina, utrum ex Deo sit, an ego et me ipse loquar.*